



Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis, Seu Resolutio Casuum Conscientiæ

Juxta Sacram Scripturam, Canones, Et Sanctos Patres

Continens Tractatus de Sacramentis Pœnitentiæ & Extremæ Unctionis;
necnon varia summorum Pontificum Decreta, contra Moralis corruptæ
propositiones, & alia

Genet, François

Parisiis, 1703

Q. 2. Quænam sunt dispositiones externæ, & cæremoniæ observandæ in
administratione Sacramenti Extremæ-Unctionis?

urn:nbn:de:hbz:466:1-40817

De Sacram. Extr. Vnct. Cap. IV. 235.

illud infundi non debet; Et, ut legitur in Can. Illus.
Rituali Romano: Impoenitentibus verò, &
qui in manifesto peccato mortali moriuntur,
& excommunicatis, & nondum baptisatis
penitus denegetur.

Licet autem infirmus confessus fuerit, eum-
tamen Parochus excitare debet ad magnum
de peccatis suis concipiendum dolorem, præ-
fertim verò de iis, quæ malo sensuum usu
commisit, quibus applicari debent Unctiones.

Secunda dispositio ad hoc Sacramentum
cum fructu suscipiendum, est magna gratia
& virtutis hujus Sacramenti fides, & fiducia
comparanda cum illa, qua se sistebant Christo
& Apostolis quotquot ab iis animæ, corpo-
risque sanitatem impetrare gestiebant, ut ait
sanctus Carolus, Ut eâ fide, inquit, se un-
gendum præbeat, quā olim qui à sanctis Apos-
tolis sanandi erant: Quoniam vivâ imprimis
fide, cum ferventi Oratione conjunctâ, hu-
jus Sacramenti effectus percipitur: Oratio
enim Fidei, ut ait sanctus Jacobus, salvabit
infirmum. Quocirca Sacerdos hoc Sacramen-
tum administraturus debet hortari, & excita-
re præsentes ad orandum pro infirmo, ut à
Deo consequatur per hujus Sacramenti appli-
cationem, gratiam quam conferre debet, quæ
tantopere necessaria est in hoc ultimo vitæ
discrimine, in quo de æternitate agitur.

Quæst. 2. Quænam sunt dispositiones ex-
ternæ, & cæmoniæ observandæ in adminis-
tratione Sacramenti Extremæ-Untionis?

Resp. Sic præscribuntur in Rituali Romano
de Sacramento Extremæ-Untionis. Sacerdos
hoc Sacramentum ministraturus, quatenus
fieri poterit, parari curet apud infirmum men-
sam mappâ candidâ coopertam, itemque vas
in quo sit bombacium: seu quid simile in-

A&t. p. 4. r. 10.
Quæ Præp.
ad Extrem.
Unct. adhi-
benda.



236 T. 7. De Sa. Ex. Vnct. C. IV.

septem globulos distinctum , ad distergendas
partes inunctas ; medullam panis ad dister-
gendo digitos , & aquam ad abluendas Sacer-
dotis manus ; ceream item candelam , quæ deinde
accensa ipsi ungenti lumen præbeat. Denique
operam dabit , ut quantâ poterit munditiâ ac
nitore hoc Sacramentum ministretur. Deinde
convocatis Clericis , seu Ministris , vel saltem
uno Clerico , qui crucem sine hastâ , aquam
benedictam cum asperforio , & librum Ritua-
lem deferat , ipse Parochus decenter accipit
vas sacri olei infirmorum , sacculo serico vio-
lacei coloris inclusum , illudque cautè defert,
ne effundi possit. Quod si longius iter per-
agendum , aut etiam equitandum sit , vel alias
ad sit periculum effusionis , vas olei sacculo
aut bursa inclusum , ut dictum est ad collum
appendat , ut commodius , & securius pra-
ferat ; procedat autem sine sonitu campanulae ,
& ut pleniùs in Rituali Romano habetur.

